



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

clxxxiii [i.e. iv]. Conversio est transitus ab uno termino positivo ad alium, ita ut inter hos duos terminos ratione illius tertij transeuntis possidendi sit pugna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

Dixi secundò : substantialis; quod si omittatur, conveniet quoque corruptioni accidentali.

IV. CONVERSIO seu generatio conver-siva requirit sequentia. Primò duos terminos positivos , unum à quo, qui & conversus dicitur , alterum ad quem, qui dicitur etiam convertens ; & per hoc differt à mutatione in genere , ad quam satis est , quòd habeat terminum à quo vel ad quem negativum. Uterq; hic conversionis terminus est duplex: aliis totalis seu denominationis, & est totum cōpositum, quod denominatur converti, seu quod definit, & totum cōpositum, quod de novo incipit. Alius formalis, & est forma, vel quodcunq; aliud, ratione cuius incipiētis vel desinentis totum denominatur converti. Sic, dum ex ligno fit ignis , lignum est terminus totalis à quo, ignis totalis ad quem : formalis à quo est forma ligni , vel unio ejus cum materia ligni , formalis ad quem forma ignis, vel unio ejus : in Eucharistia, terminus totalis periens est panis cum suis accidentibus , totalis incipiens est corpus Christi cum iisdem accidentibus : formalis à quo est substantia panis , vel potius ejus unio cum

am

dictis

dictis accidentibus ; formalis ad quem est corpus Christi , vel potius ejus unio cum iisdem accidentibus. Et consequenter necessariò quoq; in conversione reperiuntur duo termini negativi, nempe negatio formæ incipientis , à qua transitur ad negationem formæ pereuntis. Secundò requirit aliquod commune , quod ab uno termino transit ad alterum, sive sub quo, vel in quo unus terminus formalis desinat, alter incipiat, quod in Eucharistia sunt species panis , quibus definit substantia substantia panis , & incipit substantare corpus Christi. Tertiò ut ratione illius tertii communis possidendi sit aliqua lucta inter binos illos terminus , uniuersè pereat ideo , quia alter incipit ; si enim definitio prioris non contingat præcisè ob inceptionem sequentis , uti fit , dum intellectus à cognitione Petri transit ad cognitionem Pauli disparatam omnino & cum priori impossibilem , non est conversio , qualis est , dum intellectus ab affirmacione ejusdem transit ad ejusdem eodem modo sumpti negationem : sufficit etiam hanc repugnantiam horum terminorum esse moralē , qualis est inter monachismum &

can-

canonicatum, quæ physicè non repugnant
in eodem subjecto, sed ex lege tantum
Ecclesiastica. Quartò requirit conversio,
ut terminus totalis à quo simpliciter desi-
nat, *ad quem* simpliciter incipiat; simi-
liter ut terminus à quo formalis definat,
formalis ad quem incipiat, si terminus
formalis dicatur esse unio cum isto ter-
tio communi; secus, si termini forma-
les dicantur esse ipsæ formæ, vel aliud quid
incipiens & definens: sic de facto enim,
dum homo comburitur, non perit ejus ani-
ma, sed tantum desinit ea uniri materiæ:
dumquæ resurget homo in judicium, ani-
ma de novo non producetur, sed de novo
unietur materiæ. Sic quoquæ in conversione
Eucharistica opus non est, ut pereat sub-
stantia panis; imò opus non est, ut re-
cedat ex eo loco, in quo est corpus Chri-
sti, sed tantum, ut definat uniri acciden-
tibus suis.

V. MIXTIO, quæ hic non accipitur
pro locali confusione rerum plurium abs-
quæ physica unione continuativa earum-
dem inter se, aut certè manentibus singu-
lis in sua specie, qualis est mistio hordei

m 2

cum.